

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1766

Numismatum Bada-Durlacensium expositio

[urn:nbn:de:bsz:31-295072](#)

NUMISMATUM
BADA - DURLACENSIMUM
EXPOSITIO.



Metallicam Ernestiadum Badæ Marchionum seriem
Cæfareo, (a) Suecico, Gothano, (b) Durla-
censi & Palmiano Carolsruhæ, Nummophyla-
ciis debemus.

Heræana Marchionum Badensium Tabula, æri incisa, quæ
nunquam in publicum prodiit, sed cum aliis ejusdem Heræi frag-
mentis in Cæsarea gaza servatur, (c) nonnullos primi ordinis
nummos nobis suggeſſit.

Durlacenses a ſeculi fere XVI. temporibus officina mone-
taria uſi funt, unde frequentiores eorum, quam Bada-Badensium
nummi.

Tom. IV.

Iii

- (a) Perilluſtris L. B. de SENCKENBERG, Consiliarius Imp. Aulicus, Juris-
prudentiæ publicæ decus, ex Cæſarea gaza ea, quæ damus, ſuppedita-
tavit.
(b) Perilluſtris SCHLAEGERUS, Gothani theſauri Cuftos, ſcriptis eruditis
de re numiſmatica celebris, nobis transmisit Gothana.
(c) HERRGOTTUS in Nummotheica Principum Austriae Parte I. Tomi II. Mo-
numentorum in Praefat. §. 19. Heræi Tabularum fragmenta deſcribit.

FRONTISPICIUM TABULARUM.

In superiore Frontispicii Nummorum Durlacensium parte Zaringicum comparet sigillum, equitem exprimens galeatum cum vexillo. Sigillum est Bertoldi IV. ab illo diversum, quod in Numismatum Bada-Badenium Frontispicio exhibui. Adhaeret Chartæ A. 1181. quæ in Capituli Sancti Ursi scriniis Solodori servatur; ab Illustri Zurlaubio Franciæ Campi-Mareschallo, cuius studium inferuendi Badenium rebus heic publice laudandum, nuper ad me missum. Inscriptio: BERHTOLDVS. DEI. GRA. DVX. ET RECTOR. BVRGVNDIE.

In inferiore Frontispicii parte sigillum Bada-Durlacenſe majus posuimus.

TABULA I.

E R N E S T U S.

I.

Numisma argenteum, elegans, formæ majoris, Ernesti, Bada-Durlacenſum fatoris, pallio principis induiti, repræsentans imaginem. Caput reticulo cinctum, quod crines involvit. Christophorus, Ernesti pater & ejus frater Bernhardus in Christophorianæ familiæ Tabula eadem forma comparent. (d) Aurea torques ex collo propendet ad pectus. Epigraphe:

(d) Tom. II. pag. 288.

V. G. G. ERNST. MARGRAVE. ZU. BADEN. UND
HOCHBERG.

Dei Gratia Ernestus Marchio Badensis & Hochbergensis.

In averfa parte:

NIT SCHIMPF MIT ERNST.

Ernesto illudere noli.

Subjungitur Aera MDXXXIII. Occasionem nummi cudendi dedisse videtur discordia, in dividenda Philippi hereditate inter fratres exorta. Ernestus, de Confiliariis fratri non semel con questus, constantem in omni hoc negotio animum ostendit. At eodem anno restituta inter fratres concordia, quam nummus Tabulae IV. Bada-Badenium fistit.

II.

Nummus unilateralis, in quo Badensis balthens & Spanheimenses tessellæ. Manus junctæ cor tenent, ex quo prodeunt rosæ. In infima nummi parte lithospermum conspicitur. In circulo, qui nummum ambit, Aera MDXXXIII. comparet. Monumentum conjugalis inter Ernestum & Ursulam Rosenfeldiam concordiæ.

M A R G A R E T H A

ERNESTI FILIA.

I.

Unilateralis argenteus, moduli majoris, nummus Margaretha, Ernesti filiae, quæ Wolfgango Oetingensi Comiti nupsit.

Tom. IV.

lvi 2

MARGARETH. MARGGRAVIN. ZV. BADEN. I R S.

ALTERS XX.

Id est: Margaretha Marchio Badensis aetatis sue XX.

II.

Eadem Margaretha. In postica parvula Badensis cum Spanheimensibus tessellis. DROLLINGERUS Margarethæ, Caroli I. Marchionis filiae, Abbatissæ Lucidæ Vallis, A. 1496. defunctæ, attribuit nummum, (e) quod Durlacenses ante Georgii Friderici ætatem, Spanheimensibus tessellis non fuerint usi. Spanheimensia, ante Georgium Fridericum, Insignia non adhibuisse Marchiones, non equidem negaverim; at Principes feminas illis usas esse, ejusdem Margarethæ apacha, Carolo fratri A. 1558. data, ostendit; quæ Margarethæ refert sigillum, in quo Oetingensia cum Spanheimensibus comparent. Elisabetha, Margarethæ soror, Conrado Comiti Castellæ nupta, A. 1544. usi est sigillo, quod Spanheimensia Castellensibus jungit. Denique Margaretha saeculari, non ecclesiastico, habitu decoratur. Literæ & scalprum artificis a seculi XV. ruditate abhorrent, & cum nummis Ernesti ac Caroli II. convenient.

(e) In Schedis.

TABULA II.
CAROLUS I L
I.

A ureus formæ oblongæ, nummus Caroli II. CAROLVS.
D. G. MARCHIO. BADENSIS. ÆTAT.tis XXX.

ANNO

In aversa scutum quadripartitum, in cuius prima parte in area argentea Leo ruber, aurea corona ornatus; Zaringica tessera. In secunda est ala argentea, semicirculo aureo insignita, in area cœrulea; Usenbergæ Dynastiam designans. Tertia sifit in area coccinea trabem auream, cantheriis tribus nigris exarata; Badevillanum deigma. In quarta eminet leo dimidius ruber, ex variis pellibus emergens; Rœtelanum Insigne. Quatuor areis infidet clypeus Badensis. Quinque galeæ scutum cingunt. Tres superiores coronatæ sunt. Prima leonem exorientem rubeum, auro coronatum exhibit; Brisgoici Landgraviatus tessera. Media, quæ proprie Badensis est, arietina duo cornua, introrsus denticulata, sustinet. Tertia hermam virilem ostentat, cœruleo amictu ornatum, qui thorace alam argenteam Usenbergicam gerit. Reliquarum galearum altera Badevillana, herma juvenili ornata, cuius vesti rubeæ in pectore palus aureus, cantheriis distinctus, inhæret. Postremæ denique galeæ tiara episcopalis infidet; advocatiæ jura in monasteria quædam designans. In ima nummi parte Aera MDLIX.

Iii 3

I I.

Nummus argenteus formæ oblongæ, præcedenti similis, sed formæ paulo minoris; anno Caroli XXX. Aeræ Christianæ 1559. cūlūs.

I I I.

Uncialis Caroli II. thorace & manicis ferreis instructi, dextra hastam gestantis, sinistram capulo gladii admoventis. Annus 1572. Inscriptio: CAROLUS. D. G. MARCHIO. IN. BADEN. ET HACH.berg. In aversa scutum quadripartitum Bada-Durlacense, eo ordine, quem modo exposuimus. Literæ G. W. G. scuto circumscriptæ, indicant artificis nomen. Inscriptio continuat titulum:

LAND. IN. SUS: DNS: IN. ROT: ET. BADEN-WIL. (f)

Landgravius in Sausenberg, Dominus in Ræteln & Badenweiler.

I V.

Nummus argenteus, forma semissis, in quo aquila Imperii duplex cum corona & epigraphe:

MAX. II. IMP. AUG. P. F. DEC'R.

Maximiliani II. Imperatoris Augusti, Pii, Felicis, Decreto. Aversa pars Durlacensia deigmata, eodem modo, quo in præce-

(f) Uncialis hic æri incisus est in libro, cui Tit. *Sammlung rarer und merkwürdiger Gold- und Silbermünzen* Leipzig 1751. pag. 55.

dentibus Caroli II. nummis, collocata, exhibet. CAROLUS.
D. G. MARCH. BADE.

T A B U L A III.

A N N A
C A R O L I I I . U x o r .

A ureum numisma, Annæ Palatinæ, Caroli II. conjugis viduæ,
imaginem fistens, capite vittato.

ANNA von gottes gnaden MARGGRÆFIN zu BADEN
GEBORNE PFALZGRÆVIN BEY RHEIN.
Ætatis 44.

*Anna Dei Gratia Marchio Badenſis, nata Comes Palatina
Rheni Aetatis anno 44.*

In postica parte Durlacensia Insignia, Palatinis juncta, cum lem-
mate:

ICH ACHT ALLES FOR KOT DAS ICH CHRI-
STUM GEWINNE VND IN ihm ERFVNDEN
WERDE.

Omnia vilipendo, ut lucrifaciam Christum & in eo justificer.

Aera: 1584.

ERNESTUS FRIDERICUS.

I

Nummus, formæ oblongæ. Ernesti Friderici caput.
ERNEST. FRID. D. G. MARCH. BAD. ET HACHBERG.
 A^o. *Ætatis* 24. 1584. In averfa parte Durlacensia Insignia eodem ordine, qui in prioribus Caroli II. nummis comparet. Ernestus Fridericus eo anno regimen adiit. ○ X A ○

II

Nummus concordiæ, inter Ernestum Fridericum & Georgium Fridericum ; A. 1596. firmatæ. Marchia Hachbergæ, Jacobi morte vacans, Georgio Friderico soli certis tum conditionibus relicta est. Antica pars spicula repræsentat, quæ duæ manus, e nubibus prodeuntes, amplectuntur. Inscriptio: **VIRIBUS UT JUNCTA HÆC RUMPUNTUR SPICULA**
NULLIS SIC OMNE IMPERIUM FIRMAT CONCORDIA FRATRUM. Postica habet Durlacensia Insignia, uti præcedens. Additus A. 1596. Inscriptio: **ERN. FRID.**
ET GEORG. FRID. MARCH. BAD. ET HACHB.
LAND. SVS. DNI. ROT. ET BADENW. FRATRES.

 TABU-

T A B U L A I V.
ERNESTUS FRIDERICUS.
I I L.

E rnesti Friderici effigies. ERN. FRID. D. G. MARCH. BAD.
In aversa comparet figura monstrofa. Duæ manus, in cly-
peo junctæ duorum fratrum, Ernesti Friderici & Georgii Friderici
forte innuunt concordiam. Lemma: NEC. NVLLI NEC.
OMNIBVS.

I V. V.

Nummi memoriales, formæ oblongæ, Ernesti Friderici
A. 43. cusi. In utroque protome ejus: ERN. FRID. D. G.
MARCH. BAD. In posteriore additur: ET HACHB. ÆTA. 43.
Durlacensia Insignia in aversa utriusque nummi parte comparent,
cum Aera 1603.

T A B U L A V.
GEORGIVS FRIDERICUS.
I.

I mago Marchionis: GEORG. FRID. D. G. MAR. BAD. ET
HACHB. LANDG. In postica offium caput, duobus offi-
bus impositum: PVLVIS ET VMBRA SVMVS.

I L.

Nummus argenteus, cum ejusdem Marchionis togati effi-
gie: GEORG. FRID. D. G. MARCHIO BAD. ET HACH.

Tom. IV.

Kkk

In altera parte crux, quatuor circumdata parmulis, quarum prima Zaringicum leonem, secunda alam Uſenbergicam, tertia Badevillanam trabem, quarta leonem, e pellibus emergentem, Rœtelanum insigne, prodit. In medio crucis parmula præcipua cum Badensi baltheo. Inscriptio:

LAND. Z. SVSEN B. DO. IN. ROT. ET BADEN WI.
Landgravius in Sufenberg, Dominus in Ræteln & Badenwiler.

III.

Nummus quadratus argenteus, in quo parmula cum tessera Badensi:

georg friderich marggrav zu baden.

Georgius Fridericus Marchio Badensis.

In postica globus Imperii, cruce distinctus, in quo numerus 84.
Addita Aera: 1609.

IV.

Nummus argenteus, secundo hujus Tabulæ nummo similiſ, niſi quod A. 1610. cuſus.

T A B U L A V I .
G E O R G I U S F R I D E R I C U S .
V.

N ummus quadratus argenteus, formæ majoris, cum Georgii Friderici effigie:

GEORG. FRI. D. G. M. BA. ET HACH. LA. SV.

C. A. SPO.

Georgius Fridericus Dei gratia Marchio Badensis & Hachbergensis Landgravius Saufenbergæ Comes a Sponheim.

In postica scutum, in tres regiones distinctum. Regionis superioris parmula prima leonem Brisgoicum, secunda alam Usenbergam, tertia Spanheimenses tessellas exhibit. In medio scuti baltheus Badensis, quem ab uno latere aper, ab altero rosa, Ebersteinii symbola, stipant. Infima scuti regio quatuor laterculos continet, in quorum primo palus Badevillanus, cantheriis distinctus; secundo Rœtelanae fasciæ, ex quibus eminet leo; tertio baltheus Lahrensis; denique leo Malbergensis. Supra scutum Aera: 1622. In ambitu tituli reliqui:

ET. EBERS. D. A. ROT. BADENW. LOR. ET MALB.

Et Eberstein, Dominus a Rœteln, Badenweiler, Lor & Malberg.

Georgius Fridericus primus fuit in ordine Ernestiadum, qui titulos & insignia Bada-Badensia in nummis sigillisque adhibuit; superioris Marchiæ possessor quod esset. Restituta Eduardinis hac Marchia, pactione Vindobonensi (g) A. 1627. conventum est, ut

Tom. IV.

Kkk 2

(g) Tom. III. pag. 89.

utraque linea iisdem gentilitiis uteretur insignibus; quod ab hoc tempore constanter obtinuit.

V L

Nummus uncialis argenteus, A. 1622. eusus, Georgii Friderici effigiem, titulos & insignia eadem, ut in præcedente nummo; formula exhibens.

T A B U L A V I I .

G E O R G I U S F R I D E R I C U S .

I.

Nummus argenteus, cum Georgii Friderici, loricati & baculum tenentis, effigie. Ad caput Marchionis annus 1627. In ambitu:

GEORG. FRID. D. G. M. BAD. ET. HAC. LA. SV.
C. A. SP.

Georgius Fridericus Dei gratia Marchio Badensis & Hachbergensis Landgravius Sufenbergæ Comes a Sponheim.
Pars aversa scutum Marchionis sifit, in tres regiones divisum, quas Tabula præcedente num. V. descripsimus. Inscriptio:

ET EBERS. D. A. ROT. BADENW. LAR ET MAL.
Et Eberstein, Dominus a Ræteln, Badenweiler, Lar & Malberg.

VIII.

Nummus argenteus, in quo Georgii Friderici loricati effigies cum inscriptione, quam modo memoravimus. Averfa habet scutum quadripartitum, in quo duplex Badensis baltheus & ala Usenbergica duplex. Supra scutum numerus 24. totidem crucigeros indicat. Epigraphe: MONETA. NOVA. HACHBERGENSIS. 1622.

IX.

Nummus itidem argenteus, illi, quem num. VII. hujus Tabulae descriptissimus, similis, nisi quod Aera in eo nulla comparet.

X.

Nummus bracteatus, minimi moduli, baltheum Badensem in parmula sistens. Literæ G. F. M. Z. B. *Georgium Fridericum Marchionem Badensem* indicant.

TABULA VIII.

F R I D E R I C U S V.

I.

N umisma argenteum, formæ oblongæ, cum Friderici V to-gati effigie & literis:

F. D. G. M. Z. B. V. H.

Fridericus Dei Gratia Marchio Badensis & Hachbergensis.

Kkk 3

In aversa parte rosaria cum emblemate: ROSA NON SINE SPINIS: variam ejus fortunam denotant.

I I.

Nummus elegans, in quo Fridericus quoque togatus: FRIDERICUS. MAR. BADEN. ET. HOCHBERG.

In aversa extat figura feminæ, inter gladios & spicula tranquillæ. E longinquo amphitheatrum & templum. In ambitu:

CONSCIENTIA VIRTUTI SATIS AMPLUM
THEATRUM.

Solatia hæc Principis in adversa fortuna.

I I I.

Nummus quadratus argenteus, in quo Fridericus armatus cum baculo:

FRIDERICH V. G. G. M. Z. BA. V. H A. L. Z. SV. G. Z. S.
Fridericus Dei gratia Marchio Badensis & Hachbergensis,
Landgravius Sosenbergæ, Comes Spanheimensis.

In aversa scutum tripartitum, simile illi, quod Tabula VI. num. V. descripsimus. Ab utroque latere scuti Aera 1626. In ambitu tituli complementum:

V. EBERS. H. Z. ROT. BADENW. LOR. V. MALBE.
Et Ebersteinensis, Dominus in Ræteln, Badenweiler, Lor
& Malberg.

T A B U L A I X.

F R I D E R I C U S V.

I V. V. VI.

Tres nummi, sola fere magnitudine inter se diversi. Antica
Friderici armati imaginem; postica Badensia omnia
deigmata in scuto tripartito refert atque titulos Marchionis.

V I I.

Nummus argenteus, formæ minoris, A. 1626. cufus, in
quo Fridericus armatus cum insignibus.

T A B U L A X.

F R I D E R I C U S V.

V I I I.

Nummulus, ab una parte Badensem baltheum; ab altera
Alam Usenbergicam in parmulis exhibens: MONETA
NOVA HACHBERGENSIS 1622.

I X.

Nummus, ejusdem cum præcedente valoris, Badensem
sistens baltheum, cum galea coronata, ex qua cornua prodeunt.

F R I D . V . G . G . M . Z . B A . V . H A .

Fridericus Dei gratia Marchio Badensis & Hachbergensis.

In aversa numerus VIII. totidem obolos; verba:

LANDMVNZ. Monetam provincialem indicant. Addita

Aera 1622.

X.

Nummus ab una parte Friderici imaginem; ab altera Badensem baltheum in parmula referens. Inscriptio titulos & Aeram 1623.

X I.

Nummus, Fridericum sistens togatum, cum Aera 1624. Scutum aversae in tres regiones distinctum, quas exposuimus Tab. VI. num. V.

X I I.

Nummus minimi moduli. Parmula Badensis cum litteris:

F. M. Z. B.

Fridericus Marchio Badensis. Aera 1625.

TABULA XI.

F R I D E R I C U S V I .

I.

Friderici VI. effigies: FRID. D. G. MARCHIO. BAD. ET
HOCHB. Postica symbolum ejus, tres coronas, inter se
junctas; lauream vel triumphalem, querceam vel civicam, gra-
mineam vel obsidionalem sifit. Epigraphe: HIS ORNARI
AVT MORI.

II. Num-

II.

Numisma argenteum, formæ oblongæ, in quo protome Friderici. Aversa caduceum habet cum petaſo alato. Cornua copiæ duo, decussatim posita. Lemma: VIRTVTI FORTVNNA COMES.

III.

Nummus argenteus cum Friderici imagine. In postica furculus, quem irrigat plantator. Lemma: TANDEM FIT SVRCVLVS ARBOR. In imo

LIBERAL. IN JVVENT. GYMN. DVRLAC.

Liberalitas in Juventutem Gymnasi Durlensis.

Additur Aera 1669. Fridericus numimum hunc adolescentibus Gymnasi, præmium diligentiae distribuit.

TABULA XII.
BERNHARDUS GUSTAVUS
CARDINALIS ABBAS FULDENSIS.

I.

N ummus Gustavi Adolphi, qui frater fuerat Friderici VI. & mutata religione Bernhardi Gustavi nomen assunferat. Antica pars sine effigie est, inscriptionem sequentem siglis exhibens: *Bernhardus Gustavus Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Sacrae Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Princeps Abbas Fuldensis Marchio*

LII

Tom. IV.

Badensis Coadjutor confirmatus Campidonensis & Sigburgensis
XXII. Februarii MDCLXXII. In parte averfa comparet
 palma; cujus superiori parti impositum est pondus. Ad arboris
 pedes sunt Bernardi Gustavi Insignia, quibus supereminet Cardinalius Galerus. Clypeus quadripartitus. In prima & quarta
 area argentea crux nigra, Fuldensis Abbatiae deigma. In secunda & tertia, quae aurea est, baltheus ruber dexter; Badense insigne. Inscriptio: **S V B P O N D E R E**. Traditio est, palmas sub
 oneribus magis virescere. Nummum habet **SCHANNATUS.** (h)

I I.

Nummus priori similis. Inscriptio: *Bernhardus Gustavus Abbas Fuldensis, Marchio Badensis & Hochbergenensis, Confirmatus Coadjutor Campidonensis & Siegburgensis Canonicus Coloniensis & Argentinensis MDCLXXII.* Eodem, quo præcedens, anno cœfus. Cardinaliæ dignitatis nulla heic mentio. In postica, quæ palmam & scutum, ut nummus præcedens, exhibet, Abbatialis insula & pileus Principum scuto impositus. Retro scutum sunt pedum abbatiale & gladius, ecclesiasticæ ac secularis jurisdictionis indices. (i) Unde nummus hic præcedenti est prior.

(h) *Hist. Fuldensis* Tab. II. numism. n. XVII.

(i) Nummum hunc dedit quoque KOELERUS *Munzbelustigungen* Tom. I.
 pag. 225.

T A B U L A X I I I .
C H R I S T I N A
F R I D E R I C I V I F I L I A .

I.

C aput Christinæ, Friderico Duci Saxoniæ Gothano secundis
nuptiis junctæ.

CHRISTINA. D. S. I. C. M. A. & W. N. M. B. & H.

Christina Ducissa Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ, Montium, Angariae & Westphaliæ nata Marchionissa Badensis & Hachbergenfis.

In averfa parte anchora: SPES CONFISA DEO NUNQUAM
CONFUSA RECEDIT. In imo Aera: 1703. Literæ C. W.
indicant nomen artificis.

I I .

Eadem Christina. Pars antica refert scutum bipartitum,
cui pileus Principum impositus. Prima area scuti trabes aureas &
nigras transversas cum ferto viridi rutaceo exhibet; Saxonum
insigne. Altera area, auro fulgens, coccineum baltheum Baden-
sem complectitur. Epigraphe; CHRISTINA. DUX. SAX.
IVL. CLIV. MONT. ANG. ET. WESTPH.

LII 2

Tom. IV.

Postica sequentem inscriptionem continet: *Nata in arce Wolgast MDCXLV. Aprilis XXII. Patre Friderico Marchione Bada-Durlacensi Matre Christina Magdalena, Palatina Rheni Nupta MDCLXV. Julii XXVII. Alberto Marchioni Brandenburgico Onoldino & post hujus fata XIV. Viduitatis anno facta Friderici Ducis Saxoniarum, Juliaci, Cliviæ, Montium, Angariæ & Westphaliæ Uxor MDCLXXXI. Aug. XIV. Vidua MDCXCI. Aug. II. defuncta Altenburgi MDCCV. Decembris XX. sepulta ibidem ejusdem anni mensisque XXIV.*

T A B U L A X I V. F R I D E R I C U S M A G N U S.

I.

Nummus maximi moduli, A. 1682. cufus. Friderici Magni effigies. FRIDER. MAGN. M. Z. BAD. V. HACH. 1682. *Fridericus Magnus Marchio Badensis & Hachbergenfis* 1682.

In postica est Augusta Maria, Friderici Magni Conjux.

A V G . M A R I E . M A R G . B A D . H A C H B . N A T . D . D .
S C . E . H O L S T .

*Augusta Maria Marchionissa Badensis & Hachbergenfis,
nata Ducissa de Schlesvich & Holstein.*

I I.

Friderici Magni effigies. In aversa equus concitatus, ephippio, phaleris cristisque ornatus: QUO FAS ET GLORIA DUCUNT. Additur A. 1689.

T A B U L A X V.

F R I D E R I C U S M A G N U S.

I I I.

Ejusdem Marchionis imago. In postica equus phaleratus: ET PACE ET BELLO. Aera 1677.

I V.

Fridericus Magnus. In aversa: XVI. BZ. HACHBERGER. LANDSWEHRUNG. XVI. Bajoci, Hachbergenfis valoris.

Inscriptio utriusque lateris FRIDERIC. MAGNVS. V.
G. G. M A R G. Z. B A D. V. H A C H B E R G. L A N D. Z. S A U S. G.
Z. S P O N. V. E B E R. H. Z. R. B. L. V. M.

Fridericus Magnus Dei Gratia Marchio Badensis & Hachbergensis, Landgravius Saufenbergæ, Comes Sponheimensis & Ebersteinensis, Dominus Rætelæ, Badevillæ, Lahræ & Malbergæ.

V.

Eiusdem Friderici imago & scutum, Badensia deigmata tribus regionibus complectens, cum pileo. Inscriptio utriusque lateris titulos Marchionis exprimit. Duodecim crucigerorum nummus.

V L

Nummus superioris dimidius.

TABULA XVI.

FRIDERICUS MAGNUS.

V I L

Nummulus; tertia pars præcedentis. In antica velamentum, ubi galea Badensis coronata, cornibus distincta. In postica tres parvulae, se invicem tangentes. Prima Badensem baltheum & Spanheimenses tessellas, decussatim positas; secunda alam Usenbergericam; tertia leonem Brisgoicum sistit.

V I I I.

Nummus duodecim crucigerorum, catus antica & postica similis est præcedenti.

I X.

Nummus novem crucigerorum. In antica est parvula, cum baltheo Badensi. Inscriptio:

F R I D . M A G . V . G . G . M A R G . Z . B . V . H A C H B .

Fridericus Magnus Dei Gratia Marchio Badensis & Hachbergensis.

In postica est ala Usenberghica. Inscriptio hujus literis:

F . M . H A C H B . L A N D S W E H R V N G .

Fürstlich Marggräflich Hachbergische Landswehrung.

i. e. *Moneta Marchica valoris Hachbergici.*

X.

Nummus, ab una parte Friderici effigiem, ab altera par-
mulam Badensem exhibens.

X I.

Nummulus, in quo clypeus Badensis & inscriptio : II. P F E N-
N I N G Oboli duo. In altera parte Usenberghica ala & verba:

H . L A N D S W E H R V N G .

Moneta valoris Hachbergici.

T A B U L A X V I I .

C A R O L U S G U S T A V U S

F R I D E R I C I M A G N I F R A T E R .

N ummus argenteus elegans, in quo Caroli Gustavi imago.

C A R O L . G U S T . D . G . M A R . B A D . H A C H .

*Carolus Gustavus Dei Gratia Marchio Badensis &
Hachbergensis.*

In imo additur nomen artificis: ANTON MEIBVSCH. Postica focum habet & ignem, super quem pendet e nube manus, gladium tenens, cui supereminet laurea. Baltheus Badensis pileo Principis tectus. Aera 1683. In ambitu: AVIDA PERICVL VIRTVS.

JOHANNA ELISABETHA

FRIDERICI MAGNI FILIA.

Nummus celebrandæ memoriae nuptiarum Johannæ Elisabethæ cum Eberhardo Ludovico Duce Wirtenbergæ A. 1705. cufus. Capita conjugum Principum jugata in Antica comparent; cum inscriptione:

EBERH. LUD. ET IOH. ELISAB. D. G. DVCES
WURTEMB. E. T.

*Eberhardus Ludovicus & Johanna Elisabetha Dei Gratia
Duces Wirtembergæ & Teccæ.*

Mulleri artificis nomen ad latus conspicitur.

In postica Cupido, qui seposito arcu & pharetra lauream pileo innectit. E longinquo palatium & hortus. Epigraphe:
COGIT IN UNVM.

T A B U L A X V I I I .
C H R I S T I N A J U L I A N A
C A R O L I G U S T A V I F I L I A .

I.

N ummus, ab una parte Johannis Wilhelmi, Ducis Saxoniæ Ifenacensis; ab altera Christinæ Julianæ, conjugis ejus, Caroli Gustavi Marchionis Filiæ, imagines exhibens.

D. G. JOHAN. WILH. DUX. SAX. I. C. M. A. ET W.

*Dei Gratia Johannes Wilhelmus, Dux Saxoniæ, Juliaci,
Cliviæ, Montium, Angariæ & Westphaliæ.*

C H R I S T I N A J U L I A N A D. G. D U C. SAX. N A T.

M. B A D. D.

*Christina Juliana Dei Gratia Ducissa Saxoniæ nata Mar-
chionissa Bada-Durlacensis.*

Cufus est nummus A. 1704. ætatis Johannis Wilhelmi 38.

I I.

Nummus ejusdem Christinæ Julianæ. Antica effigiem ejus cum titulis, quos indicavimus, exhibit. Cufus est eodem, quo præcedens, A. 1704. ætatis Christinæ 26.

Postica feminam refert ad Deum preces fundentem :

T I M O R D O M I N I E S T I N I T I V M S A P I E N T I A E .

S I R. L. 16.

Tom. IV.

M m m

T A B U L A X I X.
C A R O L U S W I L H E L M U S.

I.

Imago Caroli Wilhelmi : *Carolus Guilielmus Dei Gratia Marchio Badena - Durlacensis & Hochbergensis Literæ p. h. m. Mulleri artificis indicant nomen. Aversa leonem coronatum & signa militaria refert: A V D A C E M F O R T V N A C O R O N A T.*
In imo æra: **M D C C V I I I.**

I I.

Nummus Carolsruhæ conditæ memor. Ab una parte delineatio urbis & arcis; ab altera: *Carolus Wilhelmus Marchio Badæ - Durlacensis primum lapidem fundamentalem arcis Carolsruhæ ponebat A. MDCCXV. die XVII. Junii. Inferius duo gryphi aris insistunt, torquem tenentes, ex qua crux, Ordinis Fidelitatis insigne propendet.*

T A B U L A X X.
C A R O L U S W I L H E L M U S.

I I I.

Caroli Wilhelmi effigies & tituli. In aversa leo dormiens: **Q V I E S C O.** In imo **M D C C X X X V I** & nomen Genevensis artificis *I. Daffier.*

I V. Idem

I V.

Idem. In postica argentifodina Sulzbergensis cum epigrapha: UTILITATI DVRLACI FELICITER PATEAT.
In imo: ARGENTIF. SULZBURG. 1720.

T A B U L A X X I.
C A R O L U S W I L H E L M U S.

V.

Caroli Wilhelmi protome. In postica baltheus Badensis in scuto, pileo Principis tecto, quod duo sustinent gryphi. Scutum torques ambit, ex qua crux Ordinis Fidelitatis pendet. Annus nummi 1721.

V I.

Idem aversa scutum habet tripartitum, in quo Badensis baltheus, ala Usenbergica & leo Brisgoicus. Peripheria insignibus Ordinis Fidelitatis condecorata. Subjungitur:

30. KREUTZER LANDMVNTZ.

XXX. Crucigeri Provincialis monetæ.

Annus nummi eusi: 1736.

V I I.

Idem. In aversa:

20. KR. FVRST. BAD. DVRL. LAND-MVNTZ. 1732.

: Tom. IV. M mm 2

Viginti Crucigeri Provincialis Monetæ Bada - Durlacensis

1732.

VIII.

Idem cum verbis: PRO BONO PVBLICO. In
averfa:

X. KREUTZER. 1732.

Decem Crucigeri 1732.

In ambitu:

FVRST. BADEN DVRLACH. LANDMVNTZ.

Moneta provincialis Bada - Durlacensis.

TABULA XXII.

CAROLUS FRIDERICUS.

I.

Parmula columnæ affixa, Badevillanum referens palum. Fi-
gura manum levans ad cœlum. OBSEQVIVM JV-
RARE PARATA. Aera: 1738. In postica scutum, a duo-
bus gryphis sustentatum; a quo crux Ordinis Fidelitatis propen-
det. In ambitu: *Magdalena Wilhelmina, Marchio Badensis, nata*
Ducissa Wirtenbergiae, Administratrix. Carolus Augustus Mar-
chio Badensis & Hachbergensis Administrator.

II.

Ara, parmulis Badenisibus ornata, cum igne & epipraphe:

VOBIS. PIA. CORDA. SACRAMVS. In imo annus 1738.
Postica præcedenti similis.

III.

Ara cum thuribulo & parmulae duæ; altera Badensem baltheum, altera alam Usenbergicam referens. Epigraphe: PRO.
VESTRA. VOTA. SALVTE. Aera 1738. Postica uti
præcedens.

IV.

Florenus. Crux Ordinis *Fidelitatis* insigne. Epigraphe:
AD LEGEM IMPERII CVSA. 1740. Infra crucem:
60. KR.

Sexaginta Crucigeri.

Postica habet parmulam, cum baltheo Badensi. Inscriptio nomina tutorum ad instar præcedentium exhibet.

TABULA XXIII.
CAROLUS FRIDERICUS.

V.

Ara cum igne & parmula Badensi: MONETA DVRLACENSIS LÆTA SACRIFICIA FERENS. In aversa
duo cornua copiae & sol: REDVCI SERENISSIMO
PRINCIPI QVÆQVE FELICIA OPTANS. Nummus
A. 1746. in memoriam Marchionis, a Gallico & Batavico itinere
redeuntis, cusus.

Mmm 3

V I.

CAROLI FRIDERICI effigies. In aversa scutum, basi insistens, pileo & torque Ordinis Fidelitatis ornatum, Badenia deigmata. Duæ feminæ ad latus utrumque basis. Altera globum terrestrem & annulum sive corollam; altera cornu copiæ tenet & libram: **M O D E R A T E E T P R V D E N T E R.** In imo æra MDCCLI.

TABULA XXIV.

CAROLUS FRIDERICUS.

V I I.

Nummus CAROLI FRIDERICI & CAROLINAE LUDOVICÆ conjugio dicatus. Femina stans dextra palmitem, sinistra cornu copiæ tenet. Ad pedes feminæ: **M I N E R V A C A T T O R V M.** In ambitu: **H A E C T A N T V M D I G N A C O N N U B I A L I F O E D E R E I U N G I.**

In aversa duplex scutum, in quorum uno baltheus Badensis; in altero Hassiacus leo coronatus, tæniis transversis argenteis & rubris distinctus. In ambitu: **F I R M A T A V G V S T A E G L O R I A M G E N T I S P O P V L I Q V E S A L V T E M T A L I S C O N I V N C T I O.** Inferius æra: MDCCLI.

V I I I.

Nummus in memoriam nativitatis duorum filiorum CAROLI FRIDERICI cœfus. Capita jugata Parentum:

D. G. CAR. FRID. MARG. BAD. & CAR. LOVISA
M. N. L. H.

*Dei Gratia Carolus Fridericus Marggravius Badensis &
Carola Louisa, Marchionissa, nata Landgravia
Hassiae.*

In postica est femina sedens, duos tenens infantes, cum epigra-
phe:

DAS GESCHL. DER FROM. WIRD GESEGN,
SEYN. PS. 112.

Prosapia piorum erit beata, Psalm. 112.

Inferius:

DIE GEBVRTH DER PRINZ. CAR. LVD.

D. 14. FEB. 1755. V. FRID. D. 29. AVG. 1756.

Nativitas Principum Caroli Friderici die 14. Febr. 1755.

& Friderici die 29. Aug. 1756.

T A B U L A X X V.

C A R O L U S F R I D E R I C U S.

I X.

Marchionis effigies. In postica scutum, velamento pileoque con-
spicuum, quod Badenses tesseras tribus regionibus complectitur.

X.

Caput Marchionis. Aversa Badensem baltheum offert. Epigraphe: AD NORMAM CONVENTIONIS. Infra scutum Aera: 1763.

X. EINE FEINE MARCK.

Decem hujus generis nummi Marcam puram conficiunt.

X I.

Nummus ejusdem cum præcedente valoris; Marchionis effigiem referens. In postica Badensis clypeus, singularum ditionum tesseras continens; quem duo sustinent gryphi. Inscriptio uti præcedens.

SUPPLEMENTUM I.

CHRISTOPHORUS I.

Effigies S. Petri, clavem tenentis. Ante eum parmula, baltheum Badensem & Spanheimenses tessellas decussatim exhibens.
C H R I S T O F. D. G. M A R C H I O B A D E N S I S. In aversa crux, cui intermixtae quatuor parmulae, quarum una duplice baltheum Badensem; altera Spanheimenses tessellas; tertia alam Usenber- gicam; quarta, in duas areas divisa, Lahrensem baltheum & Mal- bergensem leonem repræsentat. Inscriptio: MONETA NOVA B A D E N S I S.

II. S.

I I.

S. Bernhardi Martyris loricati & lanceam cum vexillo tenuis effigies. Ad latus Bernhardi annus nummi cuius 1512. Epigraphe BEAT. SANCT. BERNARD. MARTIR. In postica scutum majus, in quo Badense & Spanheimense insignia. Scutum quatuor ambient parvulae. Prima baltheum Badensem, secunda leonem, e pellibus emergentem, Rœtelanum insigne; tercia, quae e regione est, fasciam Lahrensem & leonem Malbergensem; quarta tres fascias transversas, Dynastiæ Rodemacheranæ, a Christophoro acquisitæ, deigma ostentat. Epigraphe: MONETA NOVA BADENSIS.

SUPPLEMENTUM II.

B E R N H A R D U S.

Imago Bernhardi, cuius caput reticulo, crines involvente pileo-que coniectum: BERNHARDUS DE GRATIA MAR-
CHIO BADENSIS. In postica Badense & Spanheimense in-
signia. ANNO SALUTIS MDXXXIII.

P H I L I B E R T U S.

Unilateralis nummus Philiberti, filii Bernhardi:

Tom. IV.

N n

PHILIPERT. MARGRAF ZV BADEN VND G. Z.
SPONHEIM.

Philibertus Marchio Badensis & Comes Sponheimensis.

C A E C I L I A.

Nummus memorialis Cæciliæ, Sueciæ Principis; eufus antequam Christophoro, Bernhardi filio, nuberet. **CECILIA PRINCEPS SUECIE.** Latus hoc convenit nummo, qui inter Numismata Bernhardinæ Lineæ Tab. V. comparet. Aversa feminam repræsentat sedentem, tranquillam, manum amphoræ applicantem. Nummus hic in thesauro regio Holmiensi inter rariores servatur.

SUPPLEMENTUM III.

PHILIPPUS.

Nummulus sub Philippo, Philiberti filio, eufus. Badensem & Spanheimensem tesseras, decussatim positas, exhibet:

PHILIP. D. G. MARCH. B. A. D. C. S. P.

Philippus Dei Gratia Marchio Badensis Comes Sponheimensis.

Numerus 87. annum nummi eufi 1587. designat. Postica dupli-

cem Imperii aquilam, & Imperii globum, superaddita corona, re-præsentat cum verbis: RUD. II. D. G. ROM. IMP. S. AUG.
Numerus 2. globo impressus, duorum crucigerorum indicat valorem.

W I L H E L M U S.

I.

Unilateralis nummus formæ oblongæ, A. 1627. cufus, Wilhelmi togati effigiem omnesque titulos continens.

II.

Wilhelmi togati effigies & tituli. Scutum aversæ, pileo conspicuum aureique Velleris circumdatum torque, Badensia omnia deigmata, in tres regiones distributa, comprehendit. Annus nummi cusi 1674.

FERDINANDUS MAXIMILIANUS.

Unilateralis quoque nummus, Ferdinandi Maximiliani, filii Wilhelmi, ante patrem defuncti, cum epigraphe:

FERDIN. MAXIMIL. D. G. MARCH. BAD. ET

H A C H.

Tom. IV.

N n n 2

SUPPLEMENTUM IV.

LUDOVICUS WILHELMUS.

I.

Victoriae ad Nissam & ad Widdinum, quas Ludovicus Wilhelmus reportavit, eudendo huic nummo occasionem dederunt. Leopoldus Imperator laureatus comparet in curru triumphali, manu tenens Victoria alatam, quæ coronam lauream gestat.

LEOPOLDVS M. P. F. A. P. P.

Leopoldus Magnus Pius Felix Augustus Pater Patriæ

Inferius: TRIVMPHATOR GENT. BARB.

Postica Ludovici Wilhelmi effigiem offert in tabula. Additur delineatio proelii inter Turcas & Christianos. Nissa & Widdinum turbes e longinquo comparent. In imo: TURCAE ANNO VNO TER DEVICTI. 1689.

II.

Victoria ad Salankemen. Fortuna gubernaculum tenens, ad aram consistit, capiti militis, Romano more vestiti, palmamque tenentis, lauream imponit. Aquila in globo. Epigraphe:

QUOD INSTAT EXPEDIET VICTOR. Inferius: VI-
CTORIA LEOPOLDO ET IOSEPHO TRIVMPH. F. F.
P. P. AA. VIRTUTE LVD. WILH. M. BADENS. DE
TVRCIS PARTA. In margine: AVSTRIA EXCELLENS
IN ORIENTE VICTORIA. Altera nummi pars tabulam
ostentat, Turcicis spoliis insignem. Victoria globo insistens pal-
mannique gestans, tabulae sequentia verba inscribit: SPES ET
VIRES HOSTIVM FRACTAE 1691. Turca vincitus catenis
cum camelio tauroque. Epigraphe: CAESIS TVRCAR.
XXV. MILLIB. CASTRIS CVM TORMENT. BELL.
CLVIII. DIREPTIS. Inferius: AD SALENKAMEN
D. XIX. AVGVSTI AVGVSTIS NOSTRIS VERE
AVGVSTI.

III.

Nummus ejusdem victoriae ad Salankemen testis. Ludo-
vici effigies cum epigraphe :

LVDOVICVS PRINCEPS BADENSIS C. M. G. L.

*Ludovicus Princeps Badensis, Cæsareae Majestatis Gene-
ralis Locumtenens.*

In postica miles armatus, hostium spoliis ad Danubii ripam insi-
stens; dextra caput Turcæ; sinistra vexillum clypeumque ge-

Nnn 3

ftans. In vexillo litera L. cui imposita corona, Ludovici nomen
indicat. Clypeus cum labaro. E longinquo agmina militum;
Salankemen atque Waradinum. In ambitu: TVRCARVM AD
ZEMLIN STRAGES ANNO SALVTIS
MDCLXXXI.

FINIS TOMI QUARTI ET HISTORIÆ
BADENSIS.

SEQUUNTUR
DOCUMENTA.

